



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

808. An, & quando possessio in cathedralibus aut collegiatis debeat apprehendi aut tradi capitulariter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 805. An, & qualiter capta possessione bonorum Ecclesie seu beneficii habentis Ecclesiam vel altare, censeatur capta possessio beneficii?

Respondeo: capta possessione bonorum beneficii talis, seu Ecclesie, non censeatur capta possessio beneficii; non enim in hoc casu accessorium trahit ad se principale. Corrad. *cit. c. 27. n. 44.* & longe diversum quid est, capere possessionem beneficii, & capere possessionem bonorum beneficii. Lott. *cit. q. 4. num. 66.*

Questio 806. An capta possessione beneficii, censeatur apprehensa possessio bonorum spectantium ad beneficium?

1. **R**espondeo affirmative: siue apprehendens possessionem Ecclesie seu beneficii, censeatur hoc ipso apprehendere possessionem omnium bonorum & jurium spectantium ad illud. Castrop. *cit. p. 32. n. 10.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 100.* citans Natram *conf. 562. num. 13.* Covar. (qui multos alios refert) *l. 3. var. c. 16. n. 3.* Paris. *l. 10. q. 6. n. 53.* siue adeptam possessionem beneficii sine traditione & apprehensione rerum possessio earum transit, seu ipso jure transfertur in beneficiatum. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 37.* defuncto enim rectore Ecclesie seu beneficii, non tamen vacat possessio bonorum & jurium illius; quia hæc semper est, & manet penes Ecclesiam (non solum cuius sunt bona, sed etiam, ut Corrad. *num. 8.* ex Lamb. apud Ecclesiam universalem) quæ possidere non desinit, dum (ut Lott. *n. 103.* ex Innoc. *in c. cum semper. n. 4. de causa possess. & propr.* & variis Rotæ decision. in hoc casu representari *cit. n. 37. & seq.* citans Garc. *p. 5. c. 5. n. 38.* Lamb. *p. 3. l. 2. q. 11. a. 9. & c.* Proceditque id ipsum etiam, dum sumus in provisione Ecclesie seu beneficii, quod vacat à primæ erectione; quia sic erecta seu beneficium confertur cum omnibus juribus eidem Ecclesie annexis, & bonis pro dote illi assignatis. Corrad. *cit. num. 37.* citans Innoc. *ubi ante.* Paris. *conf. 24. n. 5. l. 1. & Rot. decis. 19. n. 7. & 8. p. a. divers.* Hinc jam inferitur, quod eo ipso, quod movetur lites super beneficio, censeatur etiam mota super possessione illius bonorum & fructuum, licet de ea nihil dicatur. Corrad. *num. 46.* citans Calder. *conf. 5. de prob. Sarnens. ad reg. de triennal. q. 53. n. 3.*

2. Nihilominus sic limitanda principalis responsio, nimirum quod capta possessione beneficii, censeatur quoque apprehensa possessio bonorum illius, ut locum non habeat, nisi respectu bonorum & jurium beneficii vacantium, non autem quoad bona & jura per alium possessa, seu post vacationem illius medio tempore ante adeptionem novam possessionis Ecclesie à successore in beneficio ab alio occupata; nam ubi apparet, quod, Ecclesia vacante, ejus bona fuerint ab alio occupata, tali casu debet Ecclesia agere spolio, & cessat manentio in bonis illis à tertio occupatis. Corrad. *loc. cit. n. 45.*

Questio 807. An capta possessione beneficii, cui facta est unio, censeatur etiam capta possessio beneficii uniti?

Respondeo affirmative Lott. *cit. q. 4. n. 99.* citans Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 6.* Beltram *ad Gregor. decis. 112. n. 5. & c.* idque fit non alia ratione, quam illius annexionis subjektivæ. Quod si tamen beneficia plura, seu Ecclesie essent unita æque principaliter, earum æque principalis & distincta pos-

sessio capi debet. Card. de Luca *in summa de benef. num. 275.*

Questio 808. An, & quando possessio in Cathedralibus aut Collegiatis debeat apprehendi aut tradi capitulariter?

1. **R**espondeo affirmative, nec aliter capta possessio suffragatur, quantumcumque processerit à Canonicis; cum hoc ipsum sit de jure. Paris. *l. 10. q. 6. n. 42.* citans Pontan. *de spol. c. 15. n. 156.* & dicens, sic esse receptum per omnes. Lott. *l. 3. q. 5. n. 33. & 34.* citans Ferret. *conf. 220. n. 13.* dicensque sic millies decisum. Card. de Luca. *de Canon. d. 4. n. 4. & 8.* dicens, hanc nullitatem possessionis tunc potissimum fore considerabilem, quando obiceretur per ipsum Capitulum, quod ex ista causa denegaret fructus proviso, aliisque actus possessorios, cum eidem Capitulo principaliter interesset, noviter provisum ab eodem capitulariter, & non aliàs admitti. Declaratur hoc ipsum: collegium, cum sit societas, non patitur jus quenquam in illud intrudi contra collegiarum seu sociorum voluntatem. Lott. *ibid. num. 24.* unde etiam Papa hoc jus semper intendit salvum esse, & hinc in literis mandat, ut Capitulum nominatam à se personam recipiat. Lott. *loc. cit. n. 25. & 26.* quæ receptio duplex est, unà juris, dum ipsum Capitulum jure proprio declarat, se personam talem recipere in Canonicum & confratrem. Lott. *num. 27.* & hæc involvit actum ipsum collationis, seu concessionem tituli beneficii. Lott. *n. 31.* locumque habet, dum Papa mandat provideri, seu concedit expectativam. Lott. *n. 30.* Altera est facti, quæ nimirum Capitulum in executionem vel precedentis actus à se præstiti, nimirum dictæ receptionis juris, vel dum Papa ipse providet, & mandavit à se provisum recipi in executionem hujus provisionis papalis recipit illum, assignando illi stallum in Choro, similive modo alio mittendo in possessionem per aliquem è suis à se ad hoc deputatum. Lott. *cit. n. 27.* Er hæc receptio facti, non secus ac illa receptio juris est & esse debet actus Capitularis, seu capitulariter factus, vel mandatus fieri, ex eo, quod societas, ad quam vi talis actus recipitur, non est cum singulis prout singulis, sed prout universis. Lott. *cit. n. 33.* Proceditque hoc ipsum, siue servanda adhuc est ista solennitas tradendi possessionem capitulariter, ubi proceditur auctoritate Executoris deputati in literis apostolicis; ea siquidem potestas tradendi possessionem, quæ originaliter est in Capitulo, & quæ illi per eas literas præservatur, non transit in Executorem, præterquam si Capitulum negligat vel impedimentum præster. Lott. *n. 38.* citans Gl. & Anchar. *in c. si Capitulo. de concess. prob. in 6.*

2. Nihilominus limitanda responsio & doctrina hæc, nempe quod opus sit dictæ possessione capitulariter tradita, primò ad beneficia collegiata, hoc est, quæ sunt de Capitulo, v. g. ad Canonicatus, ut non procedat de dignitatibus, dum hæc non sunt de Capitulo constituto per solos canonicos (uti eos regulariter non esse de Capitulo, ait Card. de Luca. *de Canon. d. 4. num. 5.*) idem Card. *ibid.* adeoque multò minus de aliis beneficiis, puta Capellaniis, Vicariis, existentibus in Cathedrali vel Collegiata, nisi alicubi consuetudo habeat contrarium, ac ita suppleat modum illum tradendi possessionem capitulariter, utpote cui in hac parte jus deferat. Card. de Luca *de Canonis. d. 4. n. 7.* Lott. *loc. cit.*

n. 35. qui citat pro hoc Cassad. *decis.* 8. n. 2. *de causa possess. & propriet.* vel nisi Capitulum ipsum impediatur, quò minus possessio ita apprehendatur. Lott. n. 36. citans Gregor. *decis.* 364. n. 2. Card. de Luca *in summa. de benef.* n. 274. vel nisi in subsequentibus actibus collegialiter gestis talis fuisset admittus; per hanc enim admissionem ad actus tales canonicales jam rati ficatur veluti, & sustinetur, & iustificatur prior possessio non capitulariter capta vel tradita; atque ita manutenebitur talis in possessione, nisi fortè re minus integrà, id est, post possessionem capitulariter alteri traditam processisset factum illud, nempe dicta admissio ad actus subsequentes Capitulares, implicans seu supplens aliàs traditionem capitularem possessionis. Lott. n. 37. *juncto num.* 41. Ita quoque Canonicus, qui diu fuit in possessione Canonicatus cum titulo infecto, seu alias nullo, superveniente ei titulo valido, opus non habet novà installatione, seu traditione possessionis capitulariter factà, Lott. n. 42.

Questio 809. An, & qualiter traditio possessionis fieri non debeat, nisi vocato possessore?

Respondeo: dum quis ipso jure privatur beneficio, & beneficium vacat, v. g. ob non factam à resignatario publicationem, ob non dimissum incompatible, & consequenter illud à quocunque impetrari potest, in collatione faciendâ talis ipso jure privatus vocandus non est; à possessione tamen talis de jure non debet, nec potest inauditus, & non vocatus, & alter in ejus locum in possessionem mitti; sed debet citari & vocari per Executorem juxta expressum text. *c. licet Episcopus. de prob. in 6. ubi: licet Episcopus beneficium, quod cum cura animarum tenebas, postquam aliud recepisti consimile, illius possessionem pacificam habuisti, possit alteri de jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debeat te non vocato (cum tibi forsân jus possit competere retinendi) in possessionem illius inducere corporalem &c.* Paris. l. 11. c. 10. n. 10. citans quamplurimos. Et ratio præter eam, quam citatus text. *c. licet Episcopus.* exprimit, quòd nimirum illi possessori posset competere jus, est, quòd licet amissum sit jure ipso dominium beneficii, non tamen jure amissa est possessio illius, ut multis exemplificat Paris. à num. 12. Sed & spoliator & prædo, cum de jure possessione, est vocandus & audiendus. Paris. n. 29. unde etiam ait n. 20. hanc vocationem & citationem esse juris naturalis, citatque pro hoc Decium & Cravettam; unde & iste non vocatus possessor amotus à possessione agere potest spolio, ut Menoch. *in 8. remed. possess. recuperand.* n. 50. & 73. Ferret. *cons.* 10. n. 10. &c. quos citat Paris. n. 23. Concludunt proinde DD. omnes, quòd dum in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo ipso jure privatus est, possessio nequaquam tradi possit aut debeat per conferentem, vel Executorem alteri, illo non vocato. Paris. n. 15. & 21. Unde etiam infert nam. 9. & 22. in literis Apostolicis, in quibus sit provisio ob non factam publicationem, apponendam esse clausulam: *vocato possessore.* idque vendicare sibi locum in omnibus privationibus, ipso jure factis, prout extendit Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato:* tametsi ubi hæc clausula non adderetur, adhuc Executor vocare deberet possessorem, nisi aliud in literis exprimeretur. Paris. n. 33. citans Franc. *in cit. c. licet Episcopus.* Menoch. *ubi ante.* n. 51.

ac dicens, hanc sententiam esse DD. omnium. Vocato autem possessore, agendum erit summarie. Paris. n. 34. juxta Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato.* Neque hucusque dictis obstat dictum Gl. *in c. felix. de penitentia. in 6.* quod offendentes Cardinales sint privati ipso jure beneficiis; si quæ habent, & quòd Ecclesiarum Rectores seu collatores, ad quos spectant, de eis disponant; illis, etiam si de facto possideant, non vocatis; nam illud esse speciale, ait Paris. n. 24. ob atrocitatem delicti; & propter atrocitatem criminis licitum est transgredi jura, ut habet commune dictum; pro quo citat Innoc. *c. 1. de consuetur.* & plures alios.

Questio 810. An, & qualiter possessio beneficii capi possit per procuratorem?

Respondeo primò: possessio non solum apprehendi potest ab habente canonicum titulum, seu beneficio ipso, sed etiam ab ejus procuratore; quia si in vi mandati, quod habet ab eo ad beneficia, possit collatum beneficium acceptare, à fortiori poterit vi ejusdem mandati beneficium acceptati possessionem arripere; cum possessio non conferat, sicut confert acceptatio. Castrop. *de benef. d. 2. p. 32. n. 5.* Paris. *de resign. l. 10. q. 6. n. 9.* Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 8.* dicens, id esse manifesti juris, & ita servari de stylo notorio.

2. Respondeo secundò: probabilius videtur, non posse procuratorem generaliter constitutum apprehendere possessionem beneficii acceptati; sed egere ad hoc speciale mandatum, quale est mandatum ad beneficia. Castrop. *ibid. n. 6.* citans Gl. *in c. si tibi absentis. de prob. in 6. v. habuerit.* Imol. *in l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquir. possess.* Paris. *loc. cit.* num. 13. dicens esse communem, contra Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 9.* & Valf. *de benef. c. 4. §. 4. dub. 6.* possessio enim, esto non tribuat jus in beneficio, est tamen accessoria acceptationi beneficii illius perfectio & complementum, adeoque imitari debet naturam sui principalis, nempe hujus acceptationis, cui accidit; ergo sicut ad acceptandum beneficium, ita etiam ad capiendam possessionem illius requiritur mandatum speciale. Castrop. *cit. n. 6.* & sufficit mandatum aliàs procuratori ad beneficia, seu ad beneficium acceptandum, etsi expressa in eo non fuerit capiendâ possessio. Porrò poterit ad capiendam possessionem beneficii constitui procurator, etiam laicus. Paris. *lo. cit. n. 14.* citans Rossiniac. *de benef. c. 12. num. 14.*

Questio 811. An, & qualiter capi possit possessio, lite vel appellatione pendente?

Respondeo primò: reo contumace actor, jure suo necdum offenso, mitti non debet in possessionem ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat; juxta *c. unicuique. de eo, qui mittitur in possessionem causâ rei servandâ.* Laym. *ad c. olim. de rescript. n. 1.*

2. Respondeo secundò: lite pendente non potest quis capere possessionem beneficii, super quo lis est, aliàs talis adeptio possessionis revocatur vi attentatorum; idque etiam si possessio lite pendente capta fuisset momentanea; Paris. *de resign. l. 2. q. 3. n. 26.* & 27. Si tamen resignatio facta fuit ante litem motam, resignatarius potest capere possessionem, pendente lite absque metu attentatorum; nam adeptio possessionis, quando venit accessorie ad aliquid, quod habebat ante litem motam, tunc capiendâ possessionem, non dicitur attentatum;